



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 64. Æneas a Cardinale tituli S. Mariæ-novæ in Papam propositus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. hæc verba inter suspiria prorupit: *Fidem*
A.C. 1458. *dedico, Ænea, quam si violavero, proditor*
efficiar, Æneas reposuit, Oppido in hoc di-
scrimine existimatio tua est, ut vel Rotho-
magensem prodas, vel Ecclesiam. His ver-
bis Papiensis plene expugnatus, potius
Gallorum partes, quam Ecclesiam dese-
rere pollicitus est.

§. LXIV.

Æneas a Cardinale tit. S. Mariæ novæ
in Papam propositus.

Interim cum Cardinalis S. Mariæ novæ
 Gallorum conjurationem pro Cardi-
 nale Rothomagensi, cui aliunde infensus
 erat, probe cognosceret, ac de sua ele-
 ctione desperaret, Cardinalibus Italis (u-
 no excepto Prospero Columna) ad Ge-
 nuensis Cardinalis cubiculum convocatis
 exposuit, quæ mala timenda essent, si
 Rothomagensem eligerent, hinc eos ad-
 hortatus est, ut seposito timore, ac spreto
 propriæ utilitatis lenocinio potius Eccle-
 siæ salutem præferrent, & Italiam laben-
 tem respicerent, cui non aliter subveniri
 posset, quam Æneæ Piccolominæi Cardi-
 nalis Senensis electione; cum hic vir es-
 set natione Italus, meritis plenus, &
 sustinendæ huic dignitati ceteris omnibus
 magis idoneus. Septem, qui ibi ad-
 stabant, Cardinalibus videbatur justa sen-
 tire,

tire, solo excepto Ænea Piccolominæo, Sæcul. XV.
 qui tanto muneri se omnino imparem A.C. 1458.
 professus est.

§. LXV.

*Cardinales ad Scrutinium procedunt,
 Papam electuri.*

Paulo post Sacro de more peracto Scrutinium inchoant Cardinales, ubi posito ad Altare Calice aureo Cardinales Ariminensis, Rothomagensis, & Columna proximius accesserunt, ne fraus intercederet, curaturi. Ceteri Cardinales quisque suum occupabant locum, ac tandem servato antiquitatis suæ ordine surgentes, calici imponebant schedam, in qua scriptum erat nomen illius, quem suffragio suo designabant. Cum accederet Piccolominæus, Cardinalis Rothomagensis, etsi eundem sibi contrarium bene nosset, nihilominus se continere haud poterat, quin ei diceret: *Me tibi commendo.* Verba sane, intempestivæ imprudentiæ indicia; eo enim res jam devenerat, ut Schedulam suam scriptam Æneas mutare haud potuisset. Respondit tamen paucis hæc verbis: *Quid te commendas vili vermiculo terræ?* Post hæc suum repetiit locum. Peracta tandem suffragiorum collectione ad medium aulæ collocabatur mensa, ex qua illi tres Cardinales, qui

Mm 3 sacri